



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

Sanderus, Antoine

Antverpiae, 1625

Carolvs Flandriae Comes Brugis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10172

BERNARDINVS SENENSIS

Brugis.

ANNO 1420. In religione Seraphica totius perfectio-^{26. May}
nis & Regularis Observantiae speculum florebat
S. Bernardinus, qui Minorum Ordinem ad priorem
observationem reduxit, qui cum Vicarius Generalis Flo-
rentiae primus institutus anno 1436. esset, ut eius studijs
cepta reformatio debitum sortiretur effectum totum
peccatum ordinem peragravit. Brugis etiam aliquamdiu mo-
ratus est, verbumque Dei praedicando multos ad emen-
dationem vitæ negotatores exterorū istic degentes per-
duxit, in eo quoque Conuentu puteum benedixit,
ex cuius aqua bibentes certum aduersus febres anti-
dotum percipere olim solebant. Ex Arch. Monasterij
Brugensis.

CAROLVS FLANDRIÆ COMES

Brugis.

PATREM habuit sanctum Canutum Daniæ Regem ac ^{2. Martij}
Martyrem. Occubuit & filius ipse Martyr pro Iustitia
Brugis in Basilica S. Donatiani anno 1127. Cæsus cum
ante aram Deiparæ in superiori templi parte, quæ palatio
eius erat contigua, preces ad Deum funderet de vita &
morte illius amplum scripsit commentarium Gualterus
Archidiaconus Morinensis, quem Iacobus Symonius
Societatis Iesu Presbyter anno 1615. Lutetiae edendum
curauit. Sacra eiusdem ossa è tumulo leuata in sacrario

G 2

Cano-



Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ S. Donatiani religiose adseruantur, fuit vir procera admodum statuta, nouem scilicet pedes longus. Cui longitudini corporis membra & ossa, quæ hodie magnâ cum admiratione ibidem spectantur, respondebant. Caussa necis fuit, quod cum in maxima Galliarum fame, liberali eniteret munificentia, ac innumeris pauperibus quotidiana victus stipendia ministraret: coegerit præpotentem Stratensium familiari ut frumentum in horrea congestum, partim iusto pretio venderet, partim gratis emetiretur. Vnde in eum exorta est foedissima Stratensium coniuratio, quæ postmodum lite inter Stratenses & Tagmarum equitem exortâ, maiores vires accepit beato Carolo de Iustitiæ regula cœdere nolente. Itaque dum sanctus Marchio I pris Conuentum nobilitatis ad sanandam Stratensium amentiam indixit: illi magis conspirarunt in religiosissimi principis necem, quam & postea sacrilege perfecerunt. Vide Molanum.

CÆLESTINVS ROTNACI.

17. May.

AN is fuerit Papa Bartholomaeus Petrus I intrensis & Georgius Coluenerius Doctores Theologi Duacenses, qui Ioannis Molani natales Belgicos anno 1616. ibidem cum notis recudendos curarunt, meritò dubitant. Nam Cælestinus, qui Rotnaci quiescit, videtur martyr fuisse, vt colligi datur ex illo versiculo:

Vita Celestini gladio fuerat data fini.

Qui versiculus in veteri Rotnacenium Sanctorum sertro legi solet; vt Jacobus Pamelius in Prolegomenis ad Cyprianum testatur, & nos à Rotnacensisibus Canonicis (inquit Miraeus) anno 1622. accepimus. Cælestinus autem Papa ad sextum diem Aprilis in Martyrologio Romano adscri-